

J. Wang, version latine pré-agrégatifs, 2019-2020

À rendre pour le jeudi 13 février 2020

Version latine n°2 : alea iacta est

11 janvier 49 av. J.-C. : à la poursuite de Pompée, César atteint les rives du Rubicon.

Longueur LC : intégralité. Longueur LM : jusqu'aux crochets droits.

Vt uentum est parui Rubiconis ad undas,
ingens uisa duci patriae trepidantis imago
clara per obscuram uultu maestissima noctem
turrigero canos effundens uertice crines
caesarie lacera nudisque astare lacertis
et gemitu permixta loqui : « Quo tenditis ultra ?
quo fertis mea signa, uiri ? Si iure uenitis,
si ciues, huc usque licet. » Tum perculit horror
membra ducis, riguere comae gressumque coercens
languor in extrema tenuit uestigia ripa.

Mox ait : « O magnae qui moenia prospicis urbis
Tarpeia de rupe, Tonans, Phrygiique penates
gentis Iuleae et rapti secreta Quirini
et residens celsa Latiaris Iuppiter Alba
Vestalesque foci summi o numinis instar,
Roma, faue coeptis ; non te furialibus armis
persequor ; en, adsum uictor terraque marique,
Caesar, ubique tuus (liceat modo, nunc quoque) miles.
Ille erit, ille nocens, qui me tibi fecerit hostem ».

Inde moras soluit belli tumidumque per amnem
signa tulit propere ; sicut squalentibus aruis
aestiferae Libyes uiso leo comminus hoste
subsedit dubius, totam dum colligit iram ;
mox, ubi se saeuae stimulauit uerbere caudae
erexitque iubam et uasto graue murmur hiatu
infremuit, tum torta leuis si lancea Mauri
haereat aut latum subeant uenabula pectus,
per ferrum tanti securus uulneris exit.

[...]

[Primus in obliquum sonipes opponitur amnem
excepturus aquas ; molli tum cetera rumpit
turba uado facilis iam fracti fluminis undas.
Caesar, ut aduersam superato gurgite ripam
attigit, Hesperiae uetitis et constitit aruis,
« Hic », ait « hic pacem temerataque iura relinquo ;
te, Fortuna, sequor ; procul hinc iam foedera sunt.
Credidimus satis his, utendum est iudice bello. »]

Lucain